
PALAESTRA

1932  N. 3

INDEX RERUM

In anteriore pagina: THESEUS SUBLEVANS SAXUM

Theseus Aegei regis Attici (quem quidam deum fuisse marinum putant) erat filius et Aethrae Troezeniae: antequam eam Aegeus reliquit, gladium et sandalia condidit sub saxo mandans uxori, ut filium simulatque adultus levare posset saxum, in Atticam ad se mitteret. Aethra filium Troezene educavit, ubi puer aequales et robore et animi fortitudine superavit. Postquam induit togam, mater eum duxit ad saxum, sub quo paterna recognitionis signa latebant, et monuit, ut his repertis Athenas ad urbem paternam se conferret. Imaguncula repraesentat matrem et Theseum immane saxum sublevantem: in terra, quondam saxo cooperta, gladium et sandalia videmus. — Theseus heros erat Atheniensium — heros idem et exemplar, quod pueris Atheniensibus imitandum parentes proponebant. Plurimas novimus fabellas secundum quas Theseus patriam a latronibus et monstris liberaverit: animi magnitudo herois et fortitudo, amor proximi et patriae nobis quoque exemplo esse possunt.



LAUDES VERGILIANAE

Ad bis milesima natalia

Publii Vergilii Maronis

Confluite, o gentes, cunctis e finibus orbis,
Ad ripam properate Padi pleno ore tumentis:
„*Mantua me genuit!*“ Quem? Saeclis ecce viginti
Praeteritis hodie felix locus edidit iste
Illum, qui cecinit sua *pascua, rura ducesque*!
Exsultate simul! Certatim tollite voces!
Ingenti celebrate virum dulcedine plausus,
Magnificam patrii qui ruris imaginem adumbrans
Agricolae aerumnas miseri depingit amaras
Atque voluptates oblectamentaque vitae
Ausonii argutâ modulatus voce coloni!
Cui labor acceptus subigendi rusticus arva
Summus honos sub vomere adest et vera voluptas
Temporibus patriae priscis; namque ecce ab aratro
Saepe viri dextrâ terrae moderante periclis

Arte ciebantur regere arctae navis habenas.
Inserere indigenis versandi ruris amorem
Deserti cupiit civilis tempore belli
Obque hominum turmam violentâ strage peremptam
Vates; vae surdis afflaverat auribus olim
Fratrum, qui Veneris malebant castra nefandae
Deliciisque sequi mollique libidine sensus. —
Sed nunc quisque videt, quid cuncta *Georgica* pollent ...
Dii, quis ut ille modis tam suavibus accinit hortos,
Praediolum sulcosque suae telluris aratae?
Quis mala pastorum picturat et, ut Maro, curas
Deliciasque ducum pecoris per prata vagantis,
Lanigeras arundineo qui carmine mulcent
Pascere gaudentes agnas in gramine laeto,
Dum saevis celerum latratibus aethera complent
Turba canum gemituve boum nemus omne remugit,
Obstupefacta phalanx et gestit tollere caudas?
Dic per quem patulis melius ramalibus arbos,
Luxuriosa comis, concentum e frondibus edens
Alituum picta est, tenero cui palmite poma
Inserto horticolus decerpit dulcia solers?
Quis melius canit agmen apum roremve madentem
Ore legens variisve rosis per amoena vireta
Melliferum volitans, operive incumbit ut imis
Tota cohors tectis examine sedula odoris
Sicuti Vergilius, cui quaeque apis alma vagaeque
Florigerae suboles sunt notae vitaque earum?
E c l o g a quaeque refert et pulchra G e o r g i c a [mundo,
Haec vatem scripsisse sacrum, quem nullus adaequet,

Cui par nemo foret, quemcumque haec terra poetam
Prodiderit, dulcis quem laetum murmur adoris,
Fluminis et strepitus volucrisque canentis amoenum
Carmen et arbor agens ventis silvaeque susurrus,
Qui tempestates denuntiat et maris aestus,
Ad cunas sopivit, eo celebremus in anno
Praeprimis igitur vatem: nam carmine agresti
Ille ad agros reditum revocat summa arte colendos,
Quem conclamarant Gracchano a tempore dudum.
Carmina Vergilii, laus immortalis aratri,
Quo Romana potens Italos gens, non minus ense,
Post expugnavit fines, sunt fama perennis!
Culmine splendoris sublimi *Aeneidos* autor
Casus Dardanidae mire descripsit acerbos:
Coeptis impavidi *Romanam condere gentem*
Troiani superum successit iure severo.
Singula praetereo. — Sed quis meliore poeta
Naturae cecinit varios modulamine visus,
Dramatis et maiore modo, vi celsius artis,
Seu cer*t*amina vim *t*empes*t*a*t*um in*t*er et Aus*t*rum,
Quando fragore gravi *t*oni*t*ruque haec *t*erra *t*remisci*t*
E*t* rui*t* imber aqua *t*am *t*urbidus ae*t*here *t*o*t*o
(*T*o*t* repe*t*i*t*a *t*ona*t* quasi li*tt*era versibus haec *t*),
Sive ut agona procellarum depingit et antrum
Regis ventorum qui *magno murmure montis*
Circum claustra fremunt subito volitantque per auras,
Sive quiem, quando terris *nox incubat atra,*
Et pecudum et volucrum, dum carpunt cuncta sopo-
Omnibus ut rebus nox aufert caeca colorem? [rem,
Quam mire vates celebrat mare dulce rubescens

Aurorae radiis fulgentibus aequore toto,
Quamque horrescendum, cum fundo exaestuat Aetna
Ac gemitu glomerat gravido liquefacta sub auras
Saxa! Sed horribilis magis est descriptio Averni:
Non miror, vatum quod princeps Dantes Maronis
Palmam porrexit dextram ducendus ab illo
Per tenebras Ditis vacuas et inania regna,
Horror ubi et fletus, dolor et fremit undique stridor.
Mille forent exempla modi perfecta supremi,
Quo vates sacer hic varias descripserat aedes
Sive Cumis et Apollineas Libycasque deorum
Reginae clypeumve viri mirabile textum
Aeneae sive Augusti generisque ab Iulo
Romani exorientis. Amat Maro pangere laudes
Caesaris ipse videns ventura brevi aurea regna.

Iam duo milia ad hanc annorum vatis amati
Praeteriere diem, qua matris liquerat alvum,
At manet usque recens puerorum maximus orbis
Complacitusque comes musarum et summus in arte
Vocis Apollineâ, cui tam resonantia plectro
Calliope dat fila lyrae vocemque sonoram:
Mellifluus semper studiosis ore manebit.
Gaude igitur, mater Manto, divo inclyta Cycno!
Vergilii ad natale solum modo pergite, gentes!
Exsultate simul! Certatim tollite voces!
Ingenti celebrate virum dulcedine plausus!
Tu, studiosa cohors, elatis cantica verbis
Grata velis vati nunc summas promere laudes:
Verborum numeris contortis fulmina mittens
Altius assurgas tibi subveniente Camoena:

Pueri et puellae:

Sertis in unam mentibus invicem
Promamus almo cantica foedere
Laudes poetarum superbas
Vergilii meritis supremi!

Pueri:

Cuius potens dant eloquium melos,
Divinior mens ingeniumque adhuc
Post saecla doctrinae viginti
Discipulum cupidae phalangi.

Puellae:

Salve, Maro, artes qui graciles, rosas,
Silvas et hortos prataque, rusticas
Cantantibus moles alaudis
Concinis et volucres amoenas!

Pueri:

Qui nos cubantem sub patulae doces
Laetumque fagi tegmine Tityrum
Te praedicemus nunc eâdem
Nos tenui dociles avenâ!

Puellae:

Arbusta cunctas laeta quidem iuvant,
Gaudemus autem progenie novâ,
Quam Virgo demissam a Superno
Iam peperit sacra te augurante.

P u e r i:

Nobis boves plus quadrupedes placent
Adiuncti aratro, quos melius canis,
Ac cuncta, quae perfecit audax
Iliacus profugusque terris;

Insignis armis et pietate enim
Romae venustam donat originem:
Quis iustior belloque maior
Hocce viro pueros iuvaret?

P u e r i e t p u e l l a e:

Montes, abyssi, flumina, prata, agri,
Gestite! Cantu plaudite aves simul!
Examina herbis bombilate,
Vatis apum celebrate honores!

Iuremus omnes saecla per omnia
Servare castam Vergilio fidem;
Nam tibiâ fundente eburna et
Carmina nos fidibus beamur.

DE STUDENTE LEPIDUM DICTUM

Studiosus cum aliquoties ad gradum baccalaureatus adspirasset nec unquam obtinere potuisset, tandem spe omni ablatâ, dixit: „Non est necesse, ut fiam baccalaureus, nam et Christus habuit duodecim discipulos, et tamen nullus eorum fuit baccalaureus".

ADAM MICKIEWICZ


ΠΕΡΙ ΘΑΔΔΑΙΟΥ Α.

Πατρὶς ἐμή, Λιθυανίη! ἡ ὑγιείῃ εἴση
ἐσσί· ὅσον σε χρὴ τίειν, ὁ βαλὼν σ' ἄπο μοῦνος
γνώσετ' ἐγὼ δ' ὁρόων κάλλος τεὸν ἠδ' εὔκοσμον
πάντα γράφω σ' ἐνέπων, ποθέων δέ σε δάκρυα λείβω.

Ὦ σὺ Θεητόκ', Ὄρος θ' ἣ Φαίδιμον ἀμφιβέβηκας,
ἠδὲ τ' ἐν Ὀξυπύλῃσι φαείνεαι, ἠδὲ φυλάσσεις
Ἀκρόπολιν Νεοτειχέ', ἑοῖς θ' ὁσίοισιν ἀμύνεις,
ὡς θείῃ δυνάμει ἐμ' ἀνήγαγες ἐς βίον αὐτή,
παῖδ' ἐμ' ἐόνθ' ὅτε σοί περ ἐπιτραφθεὶς ὑπὸ μητρὸς
ἐν δακρύοις, νεκρὰ βλέφαρ' ἦρα (τότ' αὐτίκ' ἐγώ γε
ἐς νηὸν ψυχῆς χάριν ᾖα σοὶ ἀποδοῦναι),
ὣς θείῃ δυνάμει κάταγ' ἡμᾶς πατρίδ' ἐς αἶαν...
τείως δὲ ψυχῇ ποθεούσῃ πτέσθαι ἔασον
ἔς τε λόφους δασέας, ἐς λειμῶνας τε ποωδέας,
οἳ παρὰ κυανέῳ ποταμῷ Χρόνῳ εὐρὺ τέτανται,
ἐς τ' ἀγρούς, οἳ πᾶσι γε χρώμασι ποικιλόκοσμοι
ἔγχρυσοι πυρῷ, σιτῷ δὲ κατάργυροι εἰσί,
ἔνθ' ἠλεκτροφαὲς λίβυον, χιονόχροος ἠχὶ
ὀξυόπυρος, θ' ἕρπυλλος πυρὶ παρθένου αἴθων,
ταινιοειδέσι δὴ ὁρίαισι τμητοὶ ὁδοῖσι
χλωραῖς, ἄψοφαι αἷς ἐπικείαται ὄχναι ἀραιῶς.

μετέφραζε

Ἰ. Ἀστρορειθρόνιος



DECEPTOR ET APOLLO

Quidam olim, ut ipse sibi videbatur, catus
Absconditum passerculum manu tenens,
Ad Delphicum profectus est oraculum,
Hac sciscitatione lusurus Deum:
O Apollo, passer, quem manu teneo mea,
Dic sedulo, oro, vivus est, an mortuus?
Si Apollo respondisset, illum vivere;
Compressa eum elisurus ipse erat manu,
Statimque prolaturus illi mortuum:
Sin mortuum dixisset, ipse dextera
Proferre laxa vivum eum decreverat.
Sed Apollo prudens, Passer, inquit, hic tuus,
Ut tute vis, et vivus est, et mortuus.



MERCURIUS

Mercurium ab alto misit olim Iupiter,
Artificibus medicamen ut mendacii
Misceret. ille diligenter id terens
Ad constitutum mente mensurae modum,
Circumtulit, partemque cuique miscuit.
Solus supererat sutor: et medicaminis
Multum etiam erat: quod universum illi Deus
Ipso ebibendum praebuit mortario.

Hinc factum, ut omnis mentiatur artifex,
Sed sutor illo in genere praestet omnibus.

COLLOQUIUM DE PILA PEDESTRI

Petrus. Heri mihi accuratius ludi pilae regulas exponere pollicitus es; nunc igitur stes velim promisso.

Ladislaus. Ab ipsâ pilâ describenda incipio, quae duas habet partes: ventriculum gummeum[1]) et tegmentum scorteum. Ventriculus ille et tenuis et undique clausus uno foramine in tubulam exeunte ita est instructus, ut aëre condensato ore vel machinâ pneumaticâ immisso repleatur, dum globi formam accipiat. Sed priusquam hoc fieret, in tegmento illo ponitur sic, ut aëre inducto globus durus et facile ad ictus resiliens reddatur.

Petrus. Sed potius pilae ludi regulas mihi explica!

Ladislaus. Libentissime. Campus, ubi luditur (qui ad 120 metra in longitudinem patet et 80 m in latitudinem) in duas aequas dividitur partes, quas adversarii occupant. Si v. gr. Albis cum Nigris est dimicandum, Albi dimidium obtinent campi ad lineam calce signatam, alteram partem Nigri. Et Albi et Nigri undenos habent collusores, qui ab officio sortiuntur nomina: portarius, qui in medio limine utriusque partis stantem portam tuetur, patibuli referentem formam et reti ferreo instructam; duo defensores

---

[1]) *Gummi* indecl. n. et *gummis*, *-is* f., e gr. κόμμι; unde et *commi* vel *commis* scribitur. Tertia forma *gummus*, *-i*. Derivata *gumen*, *gummatus*, *gummeus*. *Gumen* proprie est gutta viscosa ex arboribus quibusdam per corticem diffluens.

tres auxiliarii, tres aggressores, duo alarii. Signo fistulâ dato ad incipiendum certamen a iudice, cuius id est curare, ut secundum regulas ludus procedat, utrâque ex parte adversarii procurrunt idque agunt, ut primum pila in adversarii campum detrudatur, deinde in portam penetret.

Petrus. Sed quomodo hoc fiat adhuc nescio.

Ladislaus. Statim audies. Impetus aggressorum est officium. Qui pilâ potiti alterni excipientes et sibi invicem tradentes in adversarii partem eam solis pedibus trudunt, qua in re ab adversis aggressoribus auxiliariis, defensoribus prohibentur. Saepissime circa pilam tumultus exoritur, ille autem, qui optime pilâ scit potiri, ab adversariis prohibetur. Excepto solo portario nemini pilam manibus tractare licet. Si quis hoc fecerit iudex signo dato ludum interrumpit. Tum autem, si ludens pilam manu ante suam ipsius portam tetigerit, non longius quam 16 metra ab ea distans, iudex pro poenâ pilam in portam conici iubet. Pila 11 metra a portâ ponitur, et unus ex adversariis nullo obstante pilam pede trudit in portam, quam solus portarius defendit. Praeterea iudex ludum interrumpit, si pila ultra campi fines ceciderit vel si eam extra campum illum, qui 16 metra a porta patet, quis tetigerit. Saepe quoque campum a ludente iudex deseri pro regularum laesione iubet.

Petrus. Sed qui victores habentur?

Ladislaus. Illi, qui pluries expugnarunt portam adversariorum. Cetera tibi explanabit ipse ludus, ad quem spectandum venisti.

ETYMOLOGIAE III

Novistis vocem polonam *cmentarz,* qua necropolin (mortuorum urbem) designare solemus, varie scribi proque scripturae modo varie intellegi: ii enim qui scribunt *smętarz,* derivant vocem ex adiectivo *smęt-ny,* quasi dicatur 'locus tristitiae' nomenque putant vere polonum.

At hi toto caelo errant: vox enim, ut omnes fere voces ad cultum religiosum spectantes, una cum institutionibus peregrinis ad Polonos venit Roma, ubi varias, quamquam inter se similes, habet formas: medio enim aevo necropolis christiana dicitur *cimiterium, cimeterium* etc., id quod Polonis dedit *cmetar,* ex quo ortum est deinceps *cmętarz.* Vocis vero latinae si investigamus historiam variasque eius formas, offendimus et antiquiorem: *coemeterium.* Quam vocis formam nihil aliud esse nisi latinam vocis graecae κοιμητήριον transcriptionem primo statim patet obtutu.

Quomodo autem fieri potuit, ut κοιμητήριον quod proprie dicit 'dormitorium', mortuorum tumulos designaret? Qua in re explicanda primum est animadvertendum vocem hanc non antea quam in litteris christianis legi, ita ut ipsa non ex antiquorum Graecorum institutis, sed ex novae religionis ideis sit explananda.

Legistis procul dubio narrationem evangelicam de suscitatione filiae Iairi archisynagogi: decumbebat in extremis — at patris afflicti obtemperans precibus, Iesus se contulit ad eius domum, ut eam vitae ac

sanitati restitueret. „Et veniunt in domum archisynagogi — ait Marcus cap. V 38 sq. — et videt tumultum, et flentes et eiulantes multum. Et ingressus ait illis Iesus: Quid turbamini et ploratis? Puella non est mortua, sed dormit“. Et irridebant eum. At Iesus tenens manum puellae imperat, ut surgat: et confestim surrexit puella et ambulabat.

Non dubitamus Iesum non ignorasse puellam vere esse mortuam: at mortem omnem is, qui vitae mortuos potuit restituere, iure suo putabat dormitionem. Clarius idem perspicitur ex Ioannis relatione cap. XI, ubi Iesus se ad iter Bethanicum accingens dicit discipulis suis: „Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut a somno excitem eum“. Dixerunt ergo discipuli eius: „Domine, si dormit, salvus erit“. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: „Lazarus mortuus est“.

Graecis antiquis mors vitae posuit finem, Christianis vero solummodo suspendit vitam animalem, cum anima vitam spiritualem porro agat. Inde et Iesu dicta intellegimus talesque locutiones, ut *obdormivit in pace* pro ‘mortuus est’, *dormitio Virginis* = ‘mors s. Mariae’ etc. Consequenter ipse tumulus factus est Christianis ‘dormitorium’ (κοιμητήριον), in quo — ut plurimae testantur inscriptiones sepulcrales — mortuus dormit (κοιμεῖ).

Restat, ut varias latinas nominis formas explicem: quae omnes ortae sunt ex transcriptione vocis graecae. Ea transcriptio potest esse graphica quae

externas litterarum formas reddit, ut κοιμητήριον=*coemeterium,* sed potest esse etiam phonetica, quae nomen ita reddit, ut pronuntiabatur. Graeca enim lingua ad instar omnium loquelarum plurimas subiit mutationes quamquam graphica vocis forma mansit eadem. Ita iam Platonis temporibus rustici pronuntiabant ἱμέρα pro ἡμέρα: aetate vero Romana abusiva haec rusticitas communis omnium graece loquentium factus est usus, ut ι sonaret non solum η, sed et υ et ει et οι: consuetudinem hanc appellamus itacismum. Vox ergo κοιμητήριον pronuntiabatur ut *kimitirion,* quae forma phonetica proxime stat a latino *cimiterium,* ex quo deducta est vox polona.



Ecce quomodo Graeci sibi poetice imaginati sint mortem: Hypnos (quem somnum dicas) iuvenis et Thanatos (letum) vir condunt mortuum in tumulo, cuius monumentum vittis ac coronis ornatum in media imaguncula conspicitur. Somnus Letusque fratres dicuntur: quamquam mira est pulcritudo et metaphorae et imaginis, plurima sunt quae graeca a christianis separant.

PARADOXA PHILOSOPHORUM GRAECORUM

Liceat mihi hoc loco aliquot sententias philosophorum Graecorum afferre, quae, quamvis nulla ratione cum eorum doctrina cohaereant, de sapientia ipsorum nos docent, praesertim cum et hodie plurimum videantur valere.

At hoc meum propositum eo aptius puto, quod idem me fere ducit consilium atque Ciceronem in eius libello, qui inscribitur *Paradoxa Stoicorum*. Dicit enim in libelli praefatione: „Cato dumtaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de dis inmortalibus, de caritate patriae Stoice solet oratoriis ornamentis adhibitis dicere, ego tibi illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Quae quia sunt admirabilia contraque opiniones omnium (ab ipsis etiam παράδοξα appellantur), temptare volui possentne proferri in lucem (id est in forum) et ita dici, ut probarentur..." Nonnulla memorabilia dicta philosophorum in lucem proferre et interpretando consequi, ut etiam aliis memorabilia videantur, etiam mihi (si parva cum magnis comparare licet) proposui.

...ῥώμης γὰρ ἀμείνων
ἀνδρῶν καὶ ἵππων ἡμετέρη σοφίη.

Haec Xenophanis sententia nostris, ut et ipsius Xenophanis temporibus paradoxon videri possit. Nam paradoxon, ut docet Cicero, ab eo appellatur, quod contra communem sit opinionem (παρὰ τὴν δόξαν), Xenophanes autem haec contra eos dicit,

qui omnem auctoritatem singulorum hominum civitatumque in robore corporis positam censebant, quorum maximus tum fuit numerus. Persuasum sibi enim habebat Xenophanes sola vi civitatem regi, hominum autem mores emendari non posse.

πολυμαθίη νόον ἔχειν οὐ διδάσκει.

Solam scientiam copiam tantum cognitionum continentem vanam esse Heraclitus affirmat. Haec eius sententia luculenter nos docet, quam parvi fuerit pretii apud Graecos doctrina, quae recte vivere non doceret. Nihil enim illud νόον ἔχειν sibi velle videtur, quam recte vivendi rectaque unoquoque tempore via procedendi artem.

ὕβριν χρὴ σβεννύναι μᾶλλον ἢ πυρκαϊήν.

Maximum apud Graecos vitium superbia (ὕβρις) habebatur. Nomen enim 'superbiae' improbam dicit audaciam, imprudentem superbiam fines humanae naturae transgredi cupientem. Hoc nocentius omnibus vitium opinione Heracliti magis quam incendium exstinguere oportet.

ἀνθρώποισι πᾶσι μέτεστι γιγνώσκειν ἑωυτοὺς καὶ φρονεῖν.

Haec incerti auctoris — quem aliqui Heraclitum esse putant — sententia quam lucide Graecorum indicat ingenium atque indolem! 'Nosce te ipsum' templo Apollinis erat inscriptum, 'nosce te ipsum' Socrates semper dicebat. Quid hoc? Quia se ipsum cognoscere fundamentum est sapientiae. Sapere enim, quod

Graece φρονεῖν appellatur, nihil est aliud atque in suis quasi terminis permanere, id est in natura sua ac viribus, quae sunt cognoscendae. Si autem unusquisque homo se ipsum potest cognoscere, sequitur, ut omnes possint sapientes fieri.

ἄνθρωποι τύχης εἴδωλον ἔπλασαντο πρόφασιν ἰδίης ἀβουλίης.

Fortuna apud Graecos et Romanos divinis colebatur honoribus. Attamen falsis his dis Democritus imperium abrogare audebat nihilque praeter vanam imaginem esse censebat. Hanc sibi imaginem homines finxerunt, ut suam stultitiam inopiamque consilii tegerent, rei deformi tamquam colorem daturi. Nam qui errat, culpam autem erroris non sibi, sed fortunae adscribit, hic suae debilitati rationem obtendere turpissime conatur. Nam fortuna neminem, nisi fortes, adiuvat.

μὴ πάντα ἐπίστασθαι πρυθυμέο,
μὴ πάντων ἀμαθὴς γένῃ.

„Noli omnia scire", monet Democritus nam multiscius, ut supra vidimus, non solum non sapit, sed qui omnia scit vel scire conatur, nihil scit bene.

ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή, ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς
πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος.

„Homini sapienti tota terra patet", Democritus asserit. Quis tamen homo sapiens? Nemo nisi vir bonus, ψυχὴ ἀγαθή. Homini bono pro patria est orbis terrarum. Quare? Quia vir bonus omnes homines

cives unius civitatis esse putat, id est cives totius mundi. Κόσμου πολίτης 'civis mundi' sibi philosophus Graecus esse videtur.

Graecorum igitur philosophi non solum scientiae suae penitus dediti erant, verum etiam in cotidianae vitae quaestiones et difficultates advertebant animum. Vitae imprimis periti esse cupiebant, virtutes et vitia humana observabant, veritatem autem errantibus aperte pronuntiare audebant. Iidem philosophi, qui in mundi originem atque elementa inquirebant, etiam id conati sunt comperire, quare miseri sint homines quidve faciendum sit, ut bene vivant.

VERSUS ALEXANDRI HEGII

magni Desiderii Erasmi Roterodami (1467—1536) praeceptoris, quibus suo tempore iuventutem studiosam ad amorem et studium linguae graecae cohortari atque incitare solitus fuisse legitur:

Quisquis grammaticam vult discere, discito graece,
Argumentari qui vult bene, discito graece,
Qui vult rhetoricen perdiscere, discito graece,
Sive mathematicam quisquis vult, discito graece,
Quique libros sacros vult noscere, discito graece.
Quique libros iuris vult volvere, discito graece,
Artibus et medicis intentus, discito graece,
Historias rerum perlustrans, discito graece.

Qui graece nescit, male scribit nomina rerum,
Qui graece nescit, male disputat organa rerum,
Qui graece nescit, male profert lumina rerum,
Qui graece nescit, confundit plurima rerum,
Qui graece nescit, nescit quoque doctus haberi.

In summa: Grais debentur singula doctis.

DE SARTORE FABULA

Venit claudus sartor ad portas caeli petiitque a sancto Petro intromitti. Denegavit Petrus propter crebra sua furta, quae ipse commisisset, uti consuevissent sartores. Ille suppliciter rogavit misericordiam seque fessum non posse longius progredi, pollicitus est se post fornacem velle delitescere, ac sordidissima quaeque officia obiturum; quod tandem multis deprecationibus impetravit. Cum autem semel caelestis imperator cum toto caelico exercitu in quendam hortum extra caelum pro solatio secessisset, remansit solus ille sartor. Qui cum in absentia domini et omnium servorum cuncta loca perlustrasset, devenit tandem ad solium supremi regis. Ubi cum omnium mortalium facta conspicere posset, vidit quandam vetulam alteri in liquido rivo lavanti vestes clam furari: unde indignatus, in se ipso expertus quam grave peccatum esset furtum, scabellum, quod sub pedibus habent, in vetulam furantem coniciebat. Dum autem reverteretur rex summus et scabellum deesse vidisset, quaesivit quis amovisset. Repperit tandem sartorem, a quo cum causam audivisset, dixit:„O fili, si mihi ultio et vindicta tam cordi fuisset quam tibi, iam olim nec subpedanea nec sellas nec scamna haberem!“.

Ad quod alludit Ovidius:

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

CARMEN MACARONICUM

In Lithuanicam peregrinationem.

Si quis jeździabit lithuana per oppida gościus,
Seu Vilnam perget seu fors wyjeżdżaverit inde,
Ille niechaj secum rżanum chlebum atque białum
In curru portet: sine curru tendere błąd jest.
Illud, iter, te ferre opus est, quodcumque potrzebat,
Atque salem fatuas nisi vis jadare potrawas.
Niech wyborna tuum repleat cervisia bęben
Seu quam dat Piątek, albo quam Sobota mittit.
Miód quoque non desit młodus, starusve, żołądko
Utilior, gravis at głowie gratusque pijanis.
Et si vina placent, curru sunt vina vehenda;
Non etenim najdziesz drogam venale per omnem,
Vel ladajakum, quamvis sis ipse gotowus
Pro totidem kroplis totidem numerare szelągos.
Quod si szklanica deest, kuflo dzbankoque plugawo
Aut okopciała musisz potare konewka,
Ex qua smerdowie modo potavere mużyki.
Czapka tibi pro lichtarzo persaepe locanda est,
Aut opus est nożum tales defigere in usus.
In sciana mensave solent quoque ponere quidam
Ex rżano chlebo sztukam w pośrodku foratam.
Si deerit pościel, praebebit słoma grabatum;
Pro lecto tibi ława dabit distendere corpus.
Quod si frigus erit, czarna recubabis in izba,
Inque die cernes noctem undique et undique dymum.
Stertentique inter krowas tenerosque cielątkos
Non tibi zegaro opus; parva cum matre prosięta
Excutient somnum, quamvis sis ipse kamienius.
Non tibi pluskwa ciałum noctem śmierdząca per omnem
Rodere cessabit... undique... angusta bieda.

II. VER SACRUM

AD IOANNEM AMICUM

Non nos fare duos semper, amice mi,
Una, qui fruimur laetitia, vide!
Non semper studiosi
Oblectabimur artibus.

Nunc curis vacui tempora dulcia
Saneque aureola in grata agimus schola,
Nec scimus graviora
Laeti munera; nam quibus

Docti nos onerant saepe magistri, ea
Sunt nobis adamata et levia, ut fame
Pressi cuncta voremus,
Nec sat sunt sitientibus!

O, feliciaque o, temporaque aurea!
Cur nos, cur fugitis fulminibus citis
Caelorum ocius longe,
Ut solum memoremini?...

Divisi spatio vitam agitabimus
Non curis gravibus luctibus aut sine,
Mi carissime amice,
Gratam usque ad revidendi horam.

M. BROŻEK




DE VITAE BREVITATE

Quo sit aetatis mihi care dicas
tempus amissum puerilis, in qua
nos pedes, palmae tulerint inertes
saepe cadentes?



Heu, fugit illud cito veris instar,
sed gradi nos vult animo virili
nunc dies clarus, medius. Serena
sit via nobis!



At senectus cum veniet capillis
candidis vires facietque mancas,
ibimus nixi baculo senili
leniter una.



Br. WÓJCIK, disc. cl. VIII
gymn. Soc. Iesu, Pińsk

FACIS NERONIANAE DESCRIPTIO

Christiani a Nerone Imperatore accusati sunt incensionis Romae. Propterea multi eorum ad palos alligati innocenter cremati sunt. Imago Palaestra praebita has vivas faces, quae iussu Neronis hortos Caesareos illuminabant, repraesentat. Iam tenebrae supra mundum effusae sunt. Corpora Christianorum ardent. Sub una face Chilon stat et in ea Glaucum medicum recognovit, quem ipse falso indicio ad supplicium tradidit. Glaucus senex alba cum barba se ad Chilonem inclinavit eumque adspectat. Ille autem manus sustulit et veniam noxae suae ab eo petit. A tergo Nero stat eumque cum diabolica voluptate intuetur. Alii autem Christiani inter flammas deum precantur, ut animas suas benigne accipiat.

X. DĄBROWSKI
cl. IV gymn. Caroli Marcinkovii Posnaniae

DE CANE FIDELI

Dives quidam canem habuit fidelem. Cum nocte haud sublustri fur domum exspoliare cupierit, fidelis exsomnisque canis latratu suo furis adventum nuntiavit. Fur deterritus fuga se recepit. Sed postridie canis a domus custode punitus est, quod dominum e somno excitaverit. Altera nocte canis furem non venturum esse putans dormiebat. Sed spes eum fefellit. Fur revertit canemque dormientem cum conspexisset, domum exspoliavit et praeda ablata fugit. Postridie dominus iterum canem castigavit quod se non excitaverit.

LADISLAUS CANDEFER
cl. V gymn. Crosnensis.

GRAECORUM LEGATORUM DIMISSIO

Antenoris prologus.

Pristina quae mihi sunt sperata et clare locuta
Non tantam fortes Danaos iniuriam laesos
Laturos animo aequo — nunc haec omnia aguntur,
Nunc et legati terram nostram tetigere,
Qui sibi, quam nuper Helenam Paris eripere ausus
Est, in Graecia agens vitam hospes perfidiosus,
Fervidaque aequora per deducere ad Ilia regna,
Exposcant tardi. Placitum si reddere nobis
Coniugi eam delectari iam pace hac quimus
Sed si nil capient legati nuntia maesta
Speranda: exire Graecorum navibus late
Diffusos milites, patriam actos perdere nostram
At quid? Alexandrum video curare opus actum
Remque agere, atque ambire omnes industrie amicos
Mittere dona manu liberali (et me ausus adire)
Sed mihi non placita est, qua utor, tradenda domus nec
Quidquid maiorum laudis. Venum ire fidem di!
Custodite meam. Nec debet recta probare
Quisque putari, qui vult defendere luce
Auri, nec prudens sat, qui dona accipit auri
Excidio patriae, solus quasi et incolumis hac,
Omnibus excisis, terra tota superesset.
Verum adeam iam consilium, nam rex hodie vult
Legatos dimittere. Quid video Paridem? Hic est.

MIECZYSLAUS BROŻEK

III. SATURA LANX

De puero pigro.

Cum puer vapularet a patre maxime ob pigritiam, coepit eiulando clamare: „Cur me percutis? nihil enim feci!“ — „Propterea te percutio, inquit pater, quia nihil facis“.

De eo, qui malebat vinum vetus quam recens bibere.

Sodali cum vinum recens et minus nobile simul cum vetere satis sapido appositum esset, eique recens propinaretur dixit: „Venerandi sunt, inquit, senes et maiores: vetustius observare volo“.

De rustico inepto.

Quidam rusticus, cum puerum suum in die Georgii (ut mos est nostris) mane ludo litterario mancipasset, atque puer a schola rediens ad solitos iocos et lusus aequalium recurreret, revocavit eum pater a collusoribus dicens: „Abi, fili, a laicis — oppido enim infesti sunt doctis!“ cum ad unam tantum horam in schola fuisset.

Insulsum dictum.

Duo fratres funus patris prosequebantur, sed alter atro, alter contra morem lugentium rufo capitio sequebatur. Qui cum esset correptus a fratre, cur

ita incederet: „Desine, ait, nam ita me male habet in rufo capitio, uti te in nigro“.

De novis rebus.

Quidam interrogatus, quid novi secum adferret? coepit de monstro quodam a se conspecto narrare. Illud aiebat tribus esse capitibus et octo pedibus conspicuum. Omnibus rei novitatem et inauditam monstri deformitatem admirantibus, tandem ille recitator parabolam suam edisserit et monstrum illud de rustico et rustica, uni equae simul insidentibus, interpretatur; nam hi tres tria capita et octo pedes habent. Haec mythologica Centauri huius expositio risum omnibus excitavit.

De quodam equum emente.

Quidam emens equum quaesivit a venditore an valeret? Respondente venditore valere, quaesivit cur venderet. Respondit ille, quia nimis comederet, quem ipse pauper aegre aleret. Quaerente vero emptore de aliis malis habitudinibus, respondit venditor, nullam aliam habere, quam quod non ascendat arbores. — Cum autem emptor domum rediret atque equum omnes mordentem videret, dixit verum esse, quod nimis comederet. Posthac veniens ad ligneum pontem non potuit equum compellere, ut transiret pontem: inde invenit equum non ascendere arbores.

De rustico puero confitente sacerdoti.

Confitebatur peccata sua sacerdoti quidam puer rusticus. Interrogante sacerdote, an aliud nihil sciret, praeter illa, quae confessus esset, „Immo, inquit puer, etiam aliam rem scio, sed eam nemini hominum aperire constitui". Putabat sacerdos enorme factum ab illo esse perpetratum, ideoque pertinaciter illum urgebat, donec tandem rem illam confiteretur. Viderat autem puer nidum in horto patris, in quo pulli nuper exclusi iacebant; hunc nulli revelandum putabat, ne forte alii pueri praecurrerent ipsum in aviculis excipiendis. Hanc rem non prius sacerdoti aperuit quam silentium illi polliceretur. — Dimissus a sacerdote domum redit et postero die se in templum confert. Reprehendit inter cetera vitia sacerdos etiam negligentiam parentum, quod liberos in pietate non instituant: nam interroganti pueri de peccatis nidos volucrum respondeant. Hac oratione sacerdotis auditâ puer metuens, ne proderetur nidus, celeriter e templo procurrit, et intra ostium consistens: „Diabolus, inquit, tibi nequam sacerdoti arcanum concredat, qui nidum sub silentii fide tibi indicatum reticere nescis. Age praeveniam et excipiam, ne quis anticipet!"

Libri alunt.

Studiosus bibulus, cum omnia perpotasset, ex libris divenditis vixit. Parenti suo scripsit: „Gratulare mihi, iam enim me libri alunt".

De morione.

Cum Eberhardus Barbatus princeps rogasset aliquem morionem ut suus familiaris esset, respondit: „Pater meus procreavit sibi proprium fatuum: tu item, si vis unum habere, facias tibi ipsi, sicut pater meus fecit“.

De lupo.

Faber quidam cum per silvam itasset et lupus illi occurrisset hiante rictu, acsi eundem vivum deglutire voluisset, ut se redimere posset, cum impetu manu dextrâ per rictum lupi penetravit caudamque arripuit atque eundem (ut calcearius calceum) invertit.

Dens extractus.

Rusticus petierat sibi dentem a chirurgo extrahi. Commissa erat res tironi, qui tres pro uno extraxerat. Clamante rustico addit tiro: „Tace, bone vir, ne te dominus meus audiat et pro tribus mercedem exigat“.

De quibusdam simplicibus rusticis

In Suebia dicuntur inprimis esse simplices rustici. Ex illis unus semel ad forum profectus, cum domum rediret, audivit in confinibus duos cuculos sibi invicem suo cantu respondentes. Erat autem unus in silva Mundingensium, alter in silva finitimae villae. Et cum cuculus alterius silvae suum clamore superare videretur, ille dimisso equo, cui insidebat,

ascendit arborem atque suum cuculum stridore illo incomposito adiuvabat. Interim lupus equum illius devoravit. Quare rusticus reversus domum suis compaganis conquestus est, quomodo propter Reipublicae honorem et communis emolumenti gratiâ, quod suum cuculum iuvisset, accepisset hinc non mediocre damnum. Unde illi consensu communi et impensis damnum illius sublevaverunt: indignum iudicantes, ut, qui pro salute et honore publico laborasset, inde iacturam pateretur.

Histrionis cuiusdam iocus.

Cum histrioni cuidam cum nobilibus discumbenti minutiores pisces appositi essent, illis autem grandiores, coepit histrio pisciculos multos contrectare atque nunc ad os, nunc ad aurem admovere: quaedam secrete loquens, coepit et tandem flere. Et cum nobiles, cur id faceret, interrogarent, dixit: „Pater meus piscator olim in aqua summersus est, et cum quaero pisciculos, annon uspiam viderint genitorem meum, respondent se esse iuniores, ut hanc rem sciant: proinde interrogandos esse grandiores natu“. Hoc cum intellegerent nobiles, dederunt ei grandiores pisces etiam inquirendos vel potius devorandos.

Littera docet, littera nocet.

Iureconsultus quidam inscripsit portae: BONIS SEMPER PATET. Alius immutans primam litteram ex B fecit D, ut legeretur: DONIS SEMPER PATET.

AENIGMATA

1. Arte mea pereo, tumulum mihi fabrico ipse,
Fila mei fati duco necemque neo.

2. Sume caput, curret; ventrem superadde, volabit;
Adde pedem, comedes, et sine ventre bibis.

3. Furfurem edit, pannum, panem quoque sustineamus.

4. Saltibus ut in scacchiorum ludu usu venit, adhibitis, collige proverbium graecum :

ι	ώ	ρ	Ὁ	δ	ς
ο	■	ε	ὀ	■	ἐ
σ	π	δ	σ	ἀ	λ
ί	ὀ	ο	ε	ρ	ο
ν	■	φ	Π	■	ν
ν	λ	τ	ἡ	τ	οὐ

5. Exquiras professiones hominum, quorum nomina hic in chartis legis:

F. LUGIUS

P. ROSITA

A. CHRIAS

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
DIRIGEBAT R. GANSZYNIEC, LEOPOLI, AD VIAM ANDREAE POTOCKI 20

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem. — Kwiecień — PKO Warszawa 154.894